DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA,
DE EMETINO
ET
CEPHAËLI IPECACUANHA, PSYCHOTRIA EMETICA, RICHARDSONIA BRASILIENSI,

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

UNIVERSITATE LITTERARIA BEROLINENSI

PRO SUMMIS

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORIBUS

RITE ADIPISCENDIS

DIE XXII. M. DECEMBRIS A. MDCCCXXIII.

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

ERNEST. FERDIN. KLINSMANN,

GEDANENSIS.

OPPONENTIBUS:

C. FISCHER, MED. DD.
F. PILTZ, MED. CAND.
E. GABLER, MED. CAND.

BEROLINI,

FORMIS G. HAYNIANIS.

Veniet tempus, quo ea, quae nunc latent, in lucem dies extrahet et longioris aevi diligentia.

SENECA.

VIRO

CELEBERRIMO EXPERIENTISSIMO,
PERSCRUTATORI

NATURAE

DILIGENTISSIMO. ACCURATISSIMOQUE

DR. FRIDER. GOTTL. HAYNE

UNIVERSITATIS LITTERARIAE BEROLINENSIS PROFESSORI, SOCIETATIS AMICORUM NATURAM INDAGANTIUM, NATURAE CURIOSORUM HALENSIS, LIPSIENSIS, MARBURGENSIS, PHYTOGRAPHICAE ET PHYSICAE GÖTTINGENSIS, PHARMACEUTICAE PETROPOLITANAE ET GERMANIAE SEPTENTRIONALIS ATQUE MARCHICAE OECONOMICAE POTSDAMIENSIS SOCIETATIS, SODALI ETC.

PRAECEPTORI SUMME VENERANDO

FAUTORI BENIGNISSIMO

HASCE

STUDIORUM SUORUM PRIMITIAS

PRO TOT TANTISQUE BENEFICIIS

GRATO ANIMO

OFFERT

AUCTOR DEDITISSIMUS

PROOEMIUM.

Nullum sane vomitorium vomendi indicationibus aptius satisfacit, quam emetinum. — Vomitus a natura instituitur, ut partes peccantes et alienae e corpore eliminentur, quod, nisi sponte fit, arte fiat, necesse est. Jam inde a natali die ad senectutem usque videmus, vomitum sponte cieri; neonati vomunt, si lac maternum ab iis non concoqui potest, modo ob acescentiam, modo ob mixtionem aliter depravatam. Nec minus facile oritur vomitus in motu corporis vehementi et inconsueto, uti in saltatione, gestatione, navigatione, rel. Momenti majoris est vomitus ex causa morbosa, si v. g. aegroti hydrocephalo, gastritide, enteritide, herniis incarceratis, laesionibus capitis, morbis venenosis aliisque vitiis tam symptomaticis quam idiopathicis laborant. Quodsi respicias ad usum vomitoriorum, modo gravioribus modo levioribus utimur. Quotiescunque vomitum excitari oportet, ubi reliqua vehementius agunt v. c. in graviditate, haemorrhagiis, rel. ad levissima vomitoria confugiamus, necesse est; hic vero fructus nobis uberrimos ars chemica tulit. Chemici celeberrimi plantas assidue examinando materias peculiares detexerunt, quas alcaloidea appellavere, quia haec, ratione chemica ad

alcalium naturam accedunt, partes efficacissimas plantarum continent, et, quidquid est crudi et alieni, exuerunt, unde fit, ut optatos effectus in dosi minori exserant. Prae ceteris Pelletier, Buchner et Thenard jam pridem radicem ipecacuanhae perscrutati sunt et in hac alcaloideum, emetinum dictum, repererunt, cujus ope obstacula removeri posse, sperabant, quae medico circa ipecacuanhae usum se opponunt.

Cum, quantum scio, nemo Germanicorum medicorum hucusque emetinum ejusque effectus describere conatus sit, mihi, singulari hujus rei studio accenso, hanc in me provinciam in dissertatione mea inaugurali suscipere liceat. Quare idoneum mihi esse putavi, eas radices, quae saepissime cum vera ipecacuanha, etsi maxima inde incommoda fiunt, confunduntur, nullum tamen in is radicibus emetinum mihi maxime id inquirenti sese obtulit, quod, quantnm ad singulares ipecacuanhae provocandos effectus conferat, omnibus satis constat.

Viro Perill. Hufeland et Cel. Osann ob veniam, benevole mihi datam, in policlinico experimenta circa haec medicamina instituendi, gratias, quas possum maximas ago.

Caeterum, l. b., te oro ut minus severe de his studiorum meorum primitiis judices, ut rem parum adhuc tractatam esse, cogites, omninoque te idoneum ac propitium praebeas.

CAP. I.

DE CEPHAËLI IPECACUANHA.

§. 1. *DE HISTORIA NATURALI.*

Guil. Piso [1]), medicus Amstelodamensis ejusque socius Marcgrav [2]) a societate Indiae occidentalis Belgica in Americam, ut medicam indolem indagarent, missi erant. Hic ambo primum anno 1648 invenerunt hanc plantam, quam nomine „ipecacuanhae fuscae" descripserunt. Hujus duae varietates occurrunt, altera „blanca," auctore Geoffroy [3]), in terra Peru nascens, altera „radice fusca" in Brasilia inventa. Ratione medica admodum inter se differunt. Arthur Philipp [4]), navium dux insignis, et griseam et brun-

1) Guil. Pisonis med. brasil. Lugd. Batav. 1648. Lib. IV. Cap. 65. p. 101. c icone.
Guil. Piso de Indiae utriusque re naturali et med. Amstel. 1658. Lib. IV. Cap. 53. p. 231. c. icone.

2) Marcgrav Historia plantar. brasil. Lugd. Batav. et Amstel. 1648. Lib. I. Cap. 9. p. 17. c. icone.

3) Traité de la Mat. med. Tom. 2. p. 157.

4) London med. Journal Vol. 9. p. 69.

neam radicem, in Brasilia indigenam nasci, contendit. Boulduc [1]) tres species, albam exiguae virtutis, brunneam efficacissimam et griseam, quae medium obtineat locum, nominat.

Hypocacuanham, Ipecacoanham, nomine e lingua Brasiliensi orto, incolae hujus terrae, omnes radices, quae ad vomendum stimulent, appellare solent.

Hispani radicem rais de oro aut bexuquilla [2]) appellant; a Lusitanis Cypo de Cameras; a Germanicis Brechwurzel, Ruhrwurzel salutatur et nunc quidem maxime modo grisea modo fusca in officinis pharmaceuticis nominatur.

Antequam in Americam Cel. illi viri, indagandi studio accensi, profecti sunt, plane incertum fuit, quae planta hanc radicem largiretur; ex hoc autem tempore in libris botanicis variis nominibus diversisque speciebus occurrit.

Apud Morison Planta Brasiliana periclymeno accedens, flosculis congestis albis dicitur, quae herba a Raj, Paris Brasiliana polycoccos et a Linnaeo in Horto Cliffortiano, Ouragoga, in materia medica [3]) autem Lonicera caule procumbente, appellatur. Postea a Linnaeo filio a Mutis [4]) et a Murray [5]) illa Psychotria emetica nominatur, a Richard, Vahl et Swarz [6]), Ce-

---

1) Histoir. de l'Acad. des scienc. de Paris 1700. p. 3 et p. 76.

2) Diction. des scienc. med. Paris 1818. T. XXVI. Litt. Ipec. Buchner Repert. B. 7. H. 3. p. 291.

3) Editio I. p. 24.

4) Linné Suppl. pl. p. 397.

5) Apparat. medicam. Ed. alt. Götting. 1793. Vol. I. p. 797.

6) Buchner Repert. B. 7. p. 292.

phaëlis emetica, a Gomez [1]), Brotero [2]) et Eberle [3]), Callicocca Ipecacuanha.

Brotero auctore in umbroso humosoque sylvarum solo in Pernambuquia, Bahia, Rio de Janeiria, Paulensia, Mariania et in aliis Brasiliae provinciis nascitur.

Dr. Gomez anno 1797 in Brasilia et quidem circa portum Rio de Janeiro, in sylvis densis ipecacuanham invenit. Humboldtus hanc plantam in terrae Peruvianae vallibus fervidis, in San-Lucas et Nova Granada cultam reperisse, affirmat. Offert etiam [4]), Americanos nomen Ipecacuanhae ignorare, et raicillas (radiculas) appellare.

Floret Novembri, Decembri, Januario mensibus; baccae nigrescentes Majo mense maturescunt.

Quibus intellectis denique secundum subtiliorem perscrutationem Willdenowii [5]), Cephaëlis Ipecacuanha nuncupatur, ad classem sexualem Pentandriae Monogyniae et ad familiam naturalem Rubiacearum referenda.

Deinde Merat [6]) icone nigra et nuperrime Hayne [7]) icone colorata illustratam illam ejusque similes in libros suos receperunt et descripserunt.

---

1) Memoria sabre a ipecac. Lisboa 1801. Fig. 2.
2) Transact. of the Linn. Soc. T. VI. p. 137. t. 11.
3) A treatise of the materia medica and therapeutics Philad. 1822. pag. 51.
4) Buchner. Repert. B. 7. p. 297.
5) Selbststudium, 2. Aufl. Berlin 1809. p. 100.
Jahrbücher für Pharmacie J. 1804. p. 73. Illum. Kupf.
Römer et Schultes Systema veget. Stuttg. 1819. Th. 4. p. 210
6) Diction. des scienc. med. T. 26. c. icon.
7) F. G. Hayne getreue Darstellung der Arzneigewächse ect. Berlin 1822. B. VIII. T. 20.

Piso [1]) jam suo tempore hanc radicem a Brasiliensibus cum in aliis malis, tum maxime in ventris fluxibus adhibitam esse, narrat, quem ad finem radice recenti in umbra siccata et contusa vel per noctem macerata aut cocta ex aqua utebantur. Residuum autem reservatum, eodem modo paratum, in eundem usum exhibitum, minus quidem efficax ad vomendum vel purgandum, sed magis ad alvum adstringendam a Brasiliensibus habetur, nos hasce virtutes docentibus.

Quamquam le Gras medicus quidam, ter in Americam profectus, eam anno 1672 in Galliam secum traduxit, donec serius circa annum 1686 mercator quidam Gallicus, nomine Grenier, centum et quinquaginta ipecacuanhae libras ex Hispania Parisios attulit. Tandem Ludovicus XIV. ab Adriano Helvetio, archiatro suo de praestantia illius certior factus est, cujus vires, cum magni aestimaret rex, eam tentari jussit in nosocomio „Hôtel Dieu" dicto. Cum bene cessissent experimenta, magnam pecuniam dedit, eumque solum vendendae radicis jure condonavit.

Fr. Deckers [2]) in Hollandia eam laudavit. Paulopost etiam in Germania anno 1696 Leibnitzius [3]) ejus facultates praedicavit suosque cives, ut ad communem hominum usum adhiberent, concitavit. Deinde Wedelius in dissertatione [4]) permagnis laudibus prae-

1) loc. cit. p. 101.
C. A. G. Berends Vomitoriorum historiae periculum. Traject. ad Viad. 1780. §. XXII. p. 73.

2) In exercitationibus practicis a. 1694. iterum editis.

3) G. W. Leibnitz de antidysenterico novo. Hannov. 1696. In Ephemerid. Natur. Curios. Dec. III. a. 3.

4) G. W. Wedel de Ipecacuanha. Jenae 1705.

stantissimam eam se praebere adversus diarrhoeam, dysenteriam, et intermittentem febrem, proposuit; nec minus Fr. Hoffmannus, Herrmannus [1]), ac Boerhaaveus contra eosdem morbos efficacem esse, censuere, unde hoc remedium sensim sensimque plurimi aestimabatur et in multis aliis morbis cum successu exhibitum est.

Enimuero non obliviscenda sunt Krahmeri, Gohlii, Scheuchzeri, Buchneri aliorumque insignium virorum pericula, qui in variis casibus magno cum fructu id remedium adhibuerunt. Quis nostrum est, qui laudes ignoret, quibus Zimmermannus [2]) adversus dysenteriam hanc radicem commendavit!

Sed haec hactenus de historia naturali, nunc transeamus ad

§. 2. *RADICIS CEPHAËLIS IPECACUANHAE DESCRIPTIONEM.*

Totius plantae explicationem proponere, haud opus esse videtur, quia sola radix in usu medico est, et illa in schedulis botanicis [3]) satis superque est descripta.

Planta caule repente radicibusque ad terram perpendiculariter, raro leviter obliquis descendentibus, duas tres quatuorve uncias longis et quod excurrit; radix superne gracilior crassitudine et similitudine caulis, saepius hic illicve brevibus radiculis instructa, quarum una alterave interdum crassescit inferne duas

1) Mater. med. T. 2. p. 70.

2) Von der Ruhr.

3) Willdenow. Merat. Hayne l. c. etc.

ad usque tres lineas crassa, vage flexa, annulis prominentibus inaequalibus rugosis; extus corticem griseum (subrufum tormentillae instar Marcgravius refert). Simulac radix sicca aqua infunditur, magis brunnea apparet. Intus cortice albicante resinoso fragili, sapore acri et nauseoso, odoremque peculiarem subnauseosum spargens. Meditullio tenace lignoso, flavescente, insipido ferme praedita. — Quam interdum cum radice Asari europaei inquinari, narratur, quod autem facili negotio fieri haud posse, arbitror. Eques Sloane, duas radices nocentes nonnunquam ipecacuanhae admixtas, detexit, alteram intense fuscam, aut ex rubro maculatam aut ex flavo rubescentem, crassiorem et ad sedecim pollices longiorem, interstitiis longioribus laevioribusque; alteram vero ipecacuanhae amplius similiorem, verum tamen per meditullium intense fuscum, satis distinguendam. Hanc in Jamaica et Protobello crescere et ad genus Apocynum pertinere, utramque vero efficaciis vehementissimis praeditam esse, dicitur [1]). Nostra, similitudinem majorem cum radice Gilleniae (Spiraeae L.) trifoliatae refert, quae Barton icone colorata delineavit [2]).

Tres varietates in officinis occurrere solent, quarum discrimina in colore magis minusve griseo data sunt, et jam dudum a Merat atque a Hayne distinctae et in opusculis supra dictis descriptae sunt.

1) Ipecacuanha nigrescenti grisea, quae a Pelletier Psychotria emetica dicitur. Sunt plerumque cras-

---

1) Voigtel's Mat. med. B. III. p. 178.

2) Will. Barton Vegetable Materia medica of the united states. Philad. 1817. T. 1. Tab. 5.

siora frustula, eminentiis majoribus instructa, et si respexeris ad effectum, majoris sane pretii.

2) Ipecacuanha rubescenti grisea a Pelletier Callicocca Ipecacuanha nuncupatur. Sapore magis amaricante quam prior.

2) Ipecacuanha albescenti grisea rarissime in officinis prostat, eminentiis minoribus et semper frustulis crassioribus obveninens, verumtamen sapore multo minus nauseoso, viribus partibusque constituentibus nondum investigatis.

§. 3. *RADICIS CEPHAËLIS IPECACUANHAE ANALYSIS CHEMICA.*

Perscrutationes ipecacuanhae chemicae jam pridem a viris celeberrimis e. g. Boulduc, [1] de Lassone et Cornette, [2] Casp. Neumann, [3] Cartheuser, [4] Henry [5] Irvine et Massenfour [6] tentatae sunt. Jam Bergius [7] ipecacuanhae infusum a ferro sulphurico tingi colore virescente, cui vis quaedam adstringens insit, detexit. Buchholz, [8] Pelletier, [9] et

---

1) Mémoir de l'Acad. des Scienc. 1701. P. 1. p. 70.

2) Pfaff System der Materia medica Leipz. 1814. Bd. III. Th. I. Abth. 2. p. 218.

3) Chemie B. 2. Th. 3. p. 178.

4) Fundamenta mat. med. Franco ad Viad 1767. p. 556.

5) Annal. de Chemie Th. LVI. p. 28. Ausz. in Berlin. Jahrbuch 1808. p. 142.

6) Buchner's Repertorium Bd. 3. p. 229.

7) vid. Pfaff p. 224.

8) Buchholz, Taschenbuch für Scheidekünstler 1818. S. 69. f. f.

9) Pelletier in Tromsdorf Journal Th. II. St. 1. p. 112. und in

Thenard,[1]) emetini huic radici maximam copiam inesse, luculenter ostenderunt. Pelletier prae caeteris exactissimam analysin nobis tradidit, unde tamen ipecacuanhae nomina adeo confusa sunt, ut non statim intelligi queat, quam radicem ille ad analysin chemicam adhibuerit, id, quod jam a Buchnero et Hayneo monitum est. Quum in Psychotria vera nihil emetini, uti alio loco narrabo, insit, elucet, eum ipecacuanhae tantum varietates perscrutatum esse.

1) EMETINI IMPURI REPRAESENTATIO.

Cortex radicis in pulverem redactus, aethere sulphurico infunditur, quo materia oleosa[2]) et malacoretina*) extrahitur, quae peculiarem spargit odorem,

---

Schweiggers Journal für Chemie und Physik. Nürnberg 1819. Bd. 19. p. 440.

1) Thenard Traité de Chemie T. IV. 2. 285.

2) Gmelin Handb. der theoret. Chemie Aufl. 2. Frkf. a. M. B. II. p. 1269.

*) Franco Galli per nomèn, „matiére grasse," nullam materiam indolis pinguis et adiposae, sed tantum crassae et mollis intelligunt, quae a chemicis germanicis in lingua vernacula, Fettstoff, falso appellatur, qua ex causa nomen malacoretinae (μαλακος mollis et ρητινα resina Weichharz,) velut scleroretina (σκλερος durus Hartharz,) recipi meretur.

Malacoretina in spiritu plus minusve solubilis, in aethere et oleis aethereis facile solubilis.

Scleroretina in spiritu solubilis in aethere oleis aethereis insolubilis atque cum malacoretina non se conjungit.

Utraque in plantis in diversis mixtionibus reperiuntur[3]).

3) Klaproth u. Wolf Supplemente zu dem chemischen Wörterbuche. Berl. 1816. B. 2. p. 336.

Hayne l. c. B. 1. p. 29. B. 2. p. 11. B. 3. p. 13. 14. B. 5. p. 24. B. 6. p. 45. B. 8. p. 19. 20. 36.

exiguum tantum excitat saporem, et, aliqua olei parti avolante, per calorem liquescit, oleum vero odore specifico, radicibus Raphani sativi maxime finitimo, impraegnatum est. Quo facto, ex spiritu rectificatissimo coquitur quoad fluidum spirituosum coloretur, unde, cum repetieris ac filtaveris spiritu destillato, residuoque in aqua soluto, iterum cera remanet. Ex solutione aquosa acidum gallicum magnesiae [1]) (barytae [2]) carbonicae digestione amovendum, tum emetinum aceto saturnino praecipitandum, deinde praecipitatum est elavandum, quo plumbum acido hydrothyonico decomponitur ac postremum filtrato, evaporatur, Si denique radix hoc modo exhausta, aqua fervida infunditur, amylum repraesentatur.

Secundum Bucholzii [3]) methodum radix spiritu extrahitur, fluidum ad siccum evaporatur, et, postquam ex extracto spirituoso ope aetheris, pars malacorotinae amota est, denuo extractio spirituosa alcohole absoluto infunditur et hoc facto, in residuo saccharum reperies, a Pelletier non detectum. Eo denique exsiccato, solutio in aqua repetitur, ex qua, massa, cerae similis, in filtro remanet, tumque residuum aquosum ad siccitatem redigitur.

Illud emetinum etiam materia tinctoria, saccharo, hoc acido quoque gallico inquinatum est.

Emetinum (extractum ipecacuanhae) parandi me-

---

1) Thenard l. c.

2) Gmelin, p. 1386.

3) Buchner's Repertor. B. 7. H. 3. p. 320.

thodus ad usum medicum emendata est, secundum praescriptionem Buchneri.[1])

Hic chemicus methodum extractum ipecacuanhae parandi, quod secundum pharmacopoeam Gallicam[2]) ope aetheris paratur, ingeniose ob majus pretium mutavit,

Pulveris ipecacuanhae quantum placet, sextuplo spiritus rectificatissimi infunditur et saepius agitando in cucurbita digeritur. Post 48 horas tinctura fusca decanthatur et denuo alcohol immittitur. Cucurbita in arenae balneo ponitur et sensim ad ebullitionem calefacienda est; quadrante horae praeterlapso, etiam alterum fluidum decanthatur, et si adhuc color adest, residuum, ad illum educendum tertio spiritu fervente praescripto modo tractatur. Tincturis omnibus commixtis, filtratis, in retorta fluidum fuscum turbidum, quod restat, in vas porcellaneum effunditur et igne moderato siccatur. Hoc extractum spirituosum rursus mollitur et filtratur. Residuum saepius aqua calida destillata elavari et tum solutio filtrata calore moderato in patera quidem plana ad siccitatem evaporari potest.

Emetinum hoc modo paratum multis partibus heterogeneis inquinatum, minus purum est, quam illud a Pelletier praescriptum etiamque effectus ratione minoris habendum est.

Buchnerus ex centum partibus radicis ipecacuanhae absque ligno sejuncto tantum decem partes emetini,

---

1) l. c. Bd. 7. p. 348.
2) p. 179. et Repert. p. 345.

emetini. duas resinae ceraceae fuscae accepit et 81 partes insolubiles remanserunt.

2. EMETINI PURI REPRAESENTATIO.

Pelletier et Thenard, emetinum impurum quod, ut supra dixi, peculiari modo acceperant, aqua et praevalente magnesia usta coxerunt, praecipitatum tantillo aquae frigidae eluere, ut materia tinctoria abiret, tum illud siccavere et spiritu vini rursum coxerunt (quo emetinum solvitur) hoc ex filtratione et evaporatione acceptum, tandem in aliquo acido diluto solverunt et solutionem per carbonis animalis digestionem decoloraverunt, emetinum, alcali ope, praecipitarunt.

Aquae, qua ad praecipitandam eluendamque magnesiam usi sumus, nonnunquam emetini aliquid inest, quod peculiari modo perficias, necesse est.

Partes constitutivae radicis ipecacuanhae nigrescenti griseo colore, quam Pelletier, ipecacuanham fuscam et Psychotriam emeticam appellat, hae fere sunt:

Malacoretinae	2
Materiae vomitoriae (emetinum dictae quod ab eodem ex lingua graeca ab ἐμέω vomo derivatum) . . .	16
Cerae	6
Gummi	10
Amyli	42
Partium lignosarum	20
Partium amissarum	4

Analysis partis lignosae ejusdem radicis [1]) et eodem modo peracta haec refert:

---

1) eod. l. p. 449. Repert. p. 331.

Emetini	1,15
Materiae extractivae	2,45
Gummi	5,—
Amyli	20,
Partium lignosarum	66,60
Malacoretinae non multum	—
Partium deperditarum	4,80

Analysis varietatis rubescenti cinereae [1]) sequentia praebuit:

Malacoretinae	2
Emetini	14
Gummi	16
Amyli	18
Residui lignosi	48 *)
Cerae tantillum impondorabile	—
Partium deperditarum	2

Ipecacuanha albescente grisea, cum rarissime occurrat, hucusque non dum explorata est. Verumtamen indoles ejus ac natura externa indicare videntur, effectus, quos exercere possint in corpus humanum, admodum esse exiguos.

Secundum perscrutationem Buchholzii [2]) hae partes constitutivae ipecacuanhae verae insunt:

---

1) idid p. 450. Repert. 333.

*) Verosimile est, totam in hac analysi, radicem, et corticem et et meditullium, insumtam esse, quam, hoc ommisso, multo minorem relicti ligni copiam adesse deberet.

2) Repert. p. 323.

Materiae extractivae (Emetini) .	$194\frac{281}{2688}$
Gummi	$506\frac{1}{4}$
Materiae, amylo similis . . .	152
Malacoretinae	$24\frac{1}{3}$
Sacchari veri	20
Cerae	$7\frac{1}{2}$
Fibrarum lignosarum	108
Partium deperditarum . . .	$7\frac{6549}{8064}$
	1000.

In partibus lignosis insolubilibus, combustis, kali carbonicum, sulphuricum, muriaticum, terram siliceam aluminosam, ferrum et prae ceteris cuprum oxydatum aliaque reperere.

§. 4. *PROPRIETATES EMETINI CHEMICAE.*[1])

A. Impurum, coloris rubescenti fusci, peculiaris exigui odoris et saporis dulcamari: rite exsiccatum squamis fulgentibus subdiaphanis, si vero hoc non factum aut jam aqua aeris atmosphaerici absorpta est, id quod facile accidit cum emetinum non exacte clausum servetur, non fulgentibus sed impellucidis apparet.

In spiritu et aqua facite solubile, aethere insolubile. Acetum saturni in solutione aquosa largum efficit praecipitatum, in qua autem saccharum saturni vix aliquam mutationem affert.

---

1) Pelletier. Thenard. Buchner l. c.
Magendie Vorschriften für die Bereitung und Anwendung einiger neuen Arzneimittel. A. d. Franz. 2. Aufl. Leipz. 1823.

Jodium in spiritu solutum rubrum sedimentum praecipitat.

Stannum muriaticum oxydulatum, hydrargyrum nitricum oxydulatum parum, plus vero hydrargyrum muriáticum oxydatum praecipitat.

Nec minus decoctum chinae, tenue praecipitatum dejicit.

Tartarus stibiatus nullum in emetinum effectum exserit, commode igitur cum eo conjungi potest.

Saccharum, gummi et gelatina plantarum similitér agunt.

Ex acido nitrico clare rubram accipimus solutionem, quae calefacta flavescit.

Acidum sulphuricum concentratum emetinum destruit et in carbonem redigit. Acidum muriaticum, phosphoricum, aceticum siñe destructione emetinum solvunt. Alcalia concentrata aquosa, sed non diluta, decomponunt.

In destillatione sicca intumescit et acidum carbonicum, acidum aceticum aquosum, nullum ammonium, paululum olei et spongiosum carbonem, qui satis laevis exhibet.

B. *Purum*, [1]) pulvéri simile coloris albi, chartam musicam rubro tinctam caeruleo colore tingit, propemodum nullo odore, saporisque subamari, parum in aqua frigida, fervescente magis solubile, a spiritu et aethere facile solvitur. Igni expositum aegro liquescit, aeri, non deliquescit.

Omnibus in acidis dilutis solubile est eademque

---

1) Thenard l. c

neutralia reddit. Hae solutiones crystallos gignunt, veratrini crystallis similes. [1])

Acidum nitricum concentratum emetinum decomponit et in massam resinosam, ex rubro flavescentem convertit et postremo acidum oxalicum gignit.

Acidum gallicum et tinctura gallarum turcicarum in emetini et puri et impuri solutionibus largum praecipitatum, in aqua insolubile, in kaliis autem solubile, [2]) dificiunt, qua ex causa chinino et cinchonino affine est. [3])

In emetinum autem salia oxalica et tartarica nullum effectum exserunt, neque in emetinum purum acetum saturni agit, quo purum ab impuro maxime distinguitur, id igitur modo fieri solet, quoniam huic extractiva quoque massa admixta est.

Emetinum a cytisino (alcoloideum peculiare in Cytisi Laburni seminibus a Chevallier et Lassaigne [4]) investigatum) dignoscitur eo, quod hoc quidem ab argento nitrico fuso, ammonio oxalico, et baryta muriatica praecipitatur.

§. 5. *DE IPECACUANHAE VERAE VIRIBUS EJUSQUE USU MEDICO.*

Jam a duobus saeculis magna cum utilitate hanc radicem ab Americanis in usum vocatam esse, scimus, et ad nostra usque tempora dignitas ejus a celeberrimis viris, ut antea dixi, stetit confirmata.

1) Magendie. l. c.
2) Thenard. Magendie l. c.
3) Pelletier. Gmelin l. c.
4) Buchner Repert. B. 7. H. 2. p. 268.

Cognovimus post explorationem chemicam partes praevalentes, emetinum, gummi, amylum, paululum malacoretinae et olei aetherei esse, quarum facile efficacissimum est emetinum, de quo in capite proprio disseremus.

Sed absit invidia laudibus, quibus hoc remedium elatum volo, cum antequam a chemicis exploratum est, magnum attulerit auxilium. Piso plane mecum sensit, quamvis rarissime ea hunc in finem usus sit. Quin adhuc Carisius [1]) in sua dissertatione, de ipecacuanha nihil commemoravit, tametsi uti Wedelius [2]) in suo libello enarravit apud seplasiarios Germaniae jam anno 1694 eam prostitisse.

Haec oriuntur post ipecacuanham adhibitam symptomata auctore quidem Hahnemanno: [3]) horripilationes cum oscitationibus ructibusque, frigoris sensus praeternaturaliter auctus, palpitationes cordis, vertigo inter ambulandum, tensio abdominis, colica flatulenta, tormina et borborygmi, sapor alienatus, austerus, adipsia, dolores labiornm et linguae margine mordentes, ptyalismus, fastidium, vomendi conatus, vomitus, gutturis ardor, inter deglutiendum dolores, quasi alienum corpus faucibus inhaereat, earum siccitas et asperitas, tussis suffocata, asthma, somnolentia, somnus inquietus, morositas, tristitia, dolores dentium, ossium et articulorum, cephalalgia, praecipue in regione frontis, ei affinis, quae a concussione totius capitis oritur, tensivi testiculorum dolores, urina rubra, parca, faeces flavae virescentes, sensus caloris interni,

---

1) Carisius de evacuantibus selectioribus. Halae 1703.

2) l. c.

3) De viribus medic. P. I. p. 162. Voigtel Mat. med. B. III p. 179.

cum frigore externo, pupillae dilatatae, inquietudo, desideria varia et aliena.

Incredibilis sane symptomatum cohors, ad quae observanda, qnantum requiratur studium, nescio!

Ex omnibus signis conjectura placet, ipecacuanham praecipue in superiores abdominis plexus, ventriculi cardiae,[1]) pulmonum et in nervos vasorum agere.

Est omnium usitatissimnm et tritissimum emeticum nec in curandis infantibus, qui magna teneritate adhuc gaudent negligendum, neque a febri alienum, cum, quod magni est momenti, sine ullo calore aliam nervorum sensibilitatem elicere valeat.

Quia non tam vehementer, ut antimonialia agit, ventriculum et tractum intestinorum minus debilitat et conterit, sed potius roborat, etiam si aegrotus propensior est ad diarrhoeam, longe aptiorem ejus usum esse jndicaverim. Itaque jam a multis ad hunc finem antimonialibus praelatum esse, satis constat.

Omnino tamen omittenda est, si ventriculus tenace et viscido muco jam per longum tempus est obrutus, alvus adstricta, corpus athleticum robustumque, venena corpori inducta sunt, ut multum nostra intersit, ventriculum quam celerrime ab iis liberari.

Quo recentior et quo tenuiorem radix vera in pulverem redacta, quo melius in vasis bene obturatis reservata est, quo pauciores fibrae sunt lignosae ei admixtae, eo efficacior est habenda.

Hisce discriminibus innixi nunc majores, nunc minores doses consiliis nostris respondent. Accipias inde justam, quae tibi videbitur, medicaminis docin.

1) Hufeland's Journal B. 2. S. 503.

Brasilienses medici [1]) adultis substantiae drachmam unam, infusi drachmas circiter duas praescribunt. Deckerus [2]) drachmam dimidiam, Herrmannus [3]) substantiae scrupulum unum ad drachmam unam adultis concessit, infusi autem drachmas duas; addens, in febribus utrobique dosin duplicandam et infantibus e. c. bimulis ac trimulis grana septem, octo, vel plura destinans. Degnerus, [4]) drachmam dimidiam ad duos scrupulos adhibuit. Apud Germanos item Anglos mos diu fuit, scrupulo circiter uni granum unum vel alterum tartari emetici, stimuli causa, adjungendi, quo connubio Murray feliciter usus est, si saburra tenacior vexat. Non solum ob eximiam efficaciam, ob confusionem inter sese similium radicum tali successu frequentissime adhibitarum, tum temporis ejusmodi conjunctio facta est, quod alias quoque evenit.

Nostra tamen aetas, usu edocta, sibi videbatur, minores doses ac largiores eundum exercere effectum, quo ita afflicti sunt aegroti, ut saepius in majus periculum ducerentur. Fatetur quoque Geoffroy, [5]) modo sex ad decem grana, modo unum vel duos scrupulos ad ea, quae sibi proposuit explenda, suffecisse. Pye [6]) magis dosin restrixit, pro discrimine aetatis et habitus aegri, granum dimidium ad quatuor vel sex optimo effectu se ingessisse, refert, et raro se

1) Piso. l. c.

2) l. c.

3) l. c. p. 60.

4) Dysenter. bilios. contag. p. 135.

5) Traité de la Mat. med. T. 2. p. 261.

6) Lettre I. a Mr Zimmermann.

spem fefellisse, modo vomendi nisus adfuerit. An vero radix Pye alia fuerit quam vulgaris, uti Murray et Tissot crediderunt, haud crediderim, quia idiosyncrasia et vomendi conamen permagnum esse debet, ut minimas doses ejusmodi vomitus sequi queat. Illa forsan optima et bene et recens praeparata fuerit varietas, meliores enim radicum species ignoramus.

Alius vero eam in exigua dosi administrandi modus hic est, quo post intervallum quadrantis horae, si non sufficit prima dosis, secunda affertur; vel si haec quoque iners, tertia post sesquiquadrantem horae. Sic grana octodecim vel viginti, in tres partes divisa, adulto ingeruntur, grana autem radicis tria cum granis octodecim sacchari mixta, in tres doses divisa, infanti, nec unquam metus vehementioris vomitus locum habet.

Eodem vero modo in intervallis longioribus, ut initio nausea et vomituritiones potius, quam vomitus oriatur, ipecacuanham in febribus biliosis adhibeas, qua undique humores et praeprimis sordes biliosae ad ventriculum et intestina alliciuntur et sensim, mobiles factae, efficaciori emetico excutiuntur. Stollius [1] hunc ad finem aliquantum ipecacuanhae vel cum resolventibus quibusdam vel aliis cum vomitoriis junctum, aegrotis praebebat.

Sub infusi forma radix dari potest, ita, ut vel drachmam unam vel quatuor scrupulos vel drachmas duas per quadrantem horae in aquae ferventis unciis duabus digeras et post colaturam sale quodam, si opus sit, vel saporis causa, syrupo misceas. Nec minus

1) Ratio medendi P. 1. p. 192.

conducit et infusum cum vino, digestione per nycthemeron paratum, absente febre.

Praeter virtutem vomitoriam, in dosi minima adhibetur in morbis exanthematicis suppressis, putridis, nervosis, intermittentibus atque febribus, modo ad leniter incitandum, modo ad diaphoresin efficiendam, modo ad spasmos mitigandos, ad sputarum excretionem augendam ad alias secretiones movendas, qua ratione crisis haud raro promovetur.

Neque eo minus ad catamenia pellenda, ad alvi fluxos obstruendos et ad alios effectus similes exserendos, in usu esse solet.

Quod ad morbos acutos attinet, olim maxime in ventris fluxibus aestimabatur, quod supra jam proposui; igitur a multis loco specifici usurpatur et haec ipsa virtus primum medicos ad aliquas ejus indagationes provocavit. Piso „sacram ancoram“ vocat „qua nullum praestantius ac tutius in plerisque alvi fluxibus sit, cum, vel sine sanguine compescendis natura excogitaverit remedium.“

Etiamsi vero insignium virorum periculis multum praestiterit, Ill. Zimmermannus [1]) ex omnibus eam sanandae dysenteriae nequaquam sufficere vere fatetur. In plerisque casibus est dijudicandum, utrum status irritativus inflammatoriusve, nec ne, adsit, a quibus nonnunquam intestina aut alia occupantur organa; ubique enim inflammatio est arcenda et discutienda, sin autem spasmi aut diaphoresis suppressio aut intestinorum tractus adest relaxatio, magno cum fructu adhiberi potest. Optime morbi initio porrigenda est,

1) Von der Ruhr.

praecipue in conatu vomendi, quo mitigantur ac sedantur sensus dolorifici, cardialgia, tormina, fluxus ventris copiaque sanguinis dejecti diminuitur. Parva quoque dosi est eodem die saepius iteranda, et si nihil obstat, quin evitares emeticum, ne penitus nervorum virtutes jam fractae prosternentur, plenam dosin adhibeas, licet [1]).

Exiguae doses a Zimmermanno et Clarkio repudiantur, quippe quibus nunquam tormina et tenesmus amoveri possunt, majoribus igitur utebantur.

Injectio per alvum [2]) in his, qui radicem detrectant, hodie, quamquam tormina sedantur, insueta tamen est.

Hisce rationibus in ipecacuanha nihil ad persanandam dysenteriam specifici reperiri potest, cum contra omnia aptae et peritae administrationi adscribenda esse, videantur. Sunt, qui auxilium, quod ipecacuanha affert, nonnisi effectui emeticis communi adscribant, qua ex causa Backer [3]) tartarum emeticum ipecacuanhae longe praefert.

Sub finem dysenteriae connubia idonea cum Rheo [4]) pro robustioribus aut cum anodyno, quando fluxus persistit [5]). Brocklesby [6]) hoc tempore, mane et vespere, pilulas ex opii granis duobus et ipecacuanhae granis tribus obtulit; ista conjunctione vis vomitoria desinit et in diaphoresin magis vertitur.

---

1) Berends l. c. p. 74.
2) Helvetins Traité des maladies p. 163. p. 202.
3) Da catarrho et dysenteria. London in Thes Diss. T. 2. p. 375.
4) Murray l. c. p. 815.
5) Pringle Diseas p. 263. 283.
6) Observation Camp-Diseases p. 189.
Berends l. c.

Quam Hanoverae diarrhoea, in dysenteriam subinde transiens, grassaretur, cum successu saepius ingestum est granum dimidium radicis cum magnesiae albae drachma dimidia [1]). Conducit, ut alia emetica maxime in febribus intermittentibus,[2]) ex primarum viarum colluvie ortis atque exanthematicis v. c. morbillis, variolis, in arthritide rheumatismoque, caeterisque malis, quae ex cutis exhalatione suppressa suborta sunt. In peripneumoniae stadio inflammatorio indolis typhosae et post hoc stadium indolis purae: ad haemorrhagias diuturnas compescendas [3]), a relaxatione, sine plethora universali aut diathesi inflammatoria ortas, praecipue uteri; in haemoptoe spastica et mictu cruento, [4]) si antea orgasmus sanguinis sedatus est, in retentione mensium et omnium specierum spasmis, opiatis longe antecellit e. g. in hysterismo, cardialgia, tussi convulsiva [5]) angina membranacea [6]), obstructionibus, herniis [7]), vomitu cum obstructione continua, [8]) spasmis gravidarum parturientium et puerperarum,[9]) in morbis hydropicis a refrigeratione subitanea ortis,[10]) valde laudatur. Eximi-

---

1) Meyer. Dissertat. de eximio Ipecacuanhae refracta dosi exhibitae usu. Götting. 1779. p, 33.
2) Wichmann et alii.
3) Plenk. Sammlung für practische Acizte P. XII. S. 253.
4) Wichmann. Dahlberg. Tode.
5) de Lassone p. 291.
6) Selle. Bange. Percivall.
7) Richter. Anfangsgründe d. W. A. B. V. p. 265.
8) Hufelands Journal l. c.
9) [illegible] Annalen der gesammten Medizin. B. 2. St 3 p 25[illegible]
10) Richter et Lentin Observat. med. Fasc. I.

am vero opem radix ipecacuanhae in phthisi exulcerata praestitisse fertur, uti quoque ad tussim leniendam, id quod a virtute antispasmodica dependere videtur.

Fothergillius et Schlegelius vino ipecacuanhae morbum venenosum ex opio sanarunt.

Stutton [1], Greenouicensis, arbitratur, opium in dosibus exiguis ipecacuanhae virtutes non impedire, contra vero augere, quoniam illud vim laxativam (!) hujus radicis avertat et inde vomitus jam ab quantitate minori efficiatur. Quem ad finem pulveri ipecacuanhae nonnullas guttas opii tincturae aut grani quadrantem pulveris opii admiscuit.

Multa enim medicorum experientissimorum argumenta, exceptis iis, quae protuli, exstant, virtutem hujus remedii confirmantia. Sed, ne nimis haec mea dissertatio istis obrueretur, quaeso, ut lector ipse sibi colligat.

§. 6. *PRAEPARATA ET COMPOSITA.*

1) Pulvis Ipecacuanhae opiatus seu Pulvis Doveri [2])

℞ Pulv. rad. Ipecac. et Opii utriusque
partem unam
kali sulphurici partes octo
tere simul in pulverem tenuem.

---

1) Dr. Stutton. Verfahren die Wirkung der Brechmittel auf den Magen zu beschränken. In v. Froriep's Notizen N. 71. 1823.

2) Pharm. Boruss. 1813. p. 138.
Pharm. Edinburg 1818. p. 99.
Pharm. Londin. 1821. p. 108.

Pulvis hujus grana decem continent ipecacuanhae e opii granum unum.

2) Vinum Ipecacuanhae [1]; radicis contusae uncia una, vini albi hispanici unciis quindecim maceratur. Hac dosi aliquot drachmarum ad unciam dimidiam vel integram in emetici finem propinatur. Guttatim datum, varios effectus supra laudatos praestat.

3) Vinum Ipecacuanhae [2])

℞ Ipecac. radicis contusae uncias duas
Vini octarios duos

Macera per dies quatuordecim et cola.

4) Syrupus Ipecacuanhae [3])

℞ Pulv. rad. Ipecac. Unc. dimid. coque c. aq. Lib. quinque per decem minutas, tum coletur et adde Sacchari albi Lib. j ß igne moderato ad consistentiam syrupi feratur; huic admisce
Aq. florum Aurant. Unc. unam.

Praecipue infantibus aptus

§. 7. *DE EMETINI USU MEDICO.*

Jam ipecacuanhae radix multis aliis emeticis est praeferenda, quoniam multo lenius et citius in corpus, quam antimonialia agit, minus excitat et canalem intestinalem haud adeo debilitat, id quod minus timescendum est ab emetino, quoniam in tanta dosi sumatur haud necesse est, sapor odorque non tam

---

1) Pharm. Edinburg p. 45.
2) Pharm. Lond. p. 94.
3) Pharm. Lipp. p. 181.

alienus quam radicis ipsius, atque interdum idiosyncrasia radicem adhibere vetat, etsi, absumtis corporis viribus, tartarus stibiatus dari non potest. Quid tandem quaeras et dubites, ejusmodi medicamina in officinam medicam recipere, quum iis, quae alcaloidea appellantur, efficacissima principia insint, e quibus, quidquid est crudi et alieni amotum est!

Omnino autem omnia alcaloidea in apparatum medicamentorium non recipienda sunt, quia vel radix vel ipsa herba, e quibus haec colliguntur, jam intensissime in corpus animale agunt, ut facile maxima incommoda oriri possint, quum dosis, quae diversa est, tam exacte dispensari nequeat, nec, concesso illo, plura eorum, propter nimiam vim venenosam ad medicorum usum non apta sunt e. g. morphium, cujus doses minimae longe efficacius, quam arsenicum agunt, etsi nonnulla eorum laetiores producunt effectus, quam ut libenter iis careamus, ut acido cyanico aliisque.

Effectus emetini et puri et impuri in corpus humanum plane sunt iidem, modo dosin habeas rationem.

Quodsi, auctore Magendie [1]), canibus aut felibus emetini adhuc colorati granum semis ad duo vel tria usque dantur, vomitus mox efficitur, quem brevis somnus sequitur. Sin autem hoc emetinum largiori copia e. g. decem granorum cani praebeas, frequentior vomitus cietur, quem altus excipit somnus, qui denique, exhaustis nimio stimulo viribus, in mortem abiit. Sectione instituta, pulmonum et tunicae mucosae in-

1) Lib. cit. p. 27.

flammationem vehementem, intestinum a cardia ad usque anum investientis, reperimus [1]).

Emetinum solutum, cum injeceris in venam jugularem aut in alio corporis loco, epidermide nudata, inunxeris, absorbetur, id, quod animal, simili, quam antea, modo ad mortem ducit.

Impuri emetini effectus in hominem, et sanum et aegrotum [2]) sunt similes, uti dixi.

In jejuno homine duo grana frequentes vomitus efficiunt, cum ad nauseam excitandam quarta unius grani pars fufficiat.

Emetinum in iis morbis, in quibus radice ipecacuanhae utaris, indicatum est; licet illius praestantia ex pluribus insignium virorum experimentis satis comprobata est, ut nullum, nec dubium neque in usu ejus supersit periculum.

Emetinum, ex praeceptis Buchneri paratum, minus efficax, quo, ut efficias vomitum. maxima est dosis quatuor ad quinque usque grana. Illa praescriptione parati emetini effectus diligentissime in policlinico Perill. Hufelandii observavi, sic, ut nullus dubitem, quin id medicis commendem.

Ante omnia emetinum adhibendum est in hominibus, magna sensibilitate praeditis, feminis et pueris tenerrimis, saporem ipecacuanhae repudiantibus. Juvat quoque in idiosyncrasia iisque hominibus, quorum vires valde prostratae sunt, si necessitas vomitus urget

et alia

1) Magendie de l'influence de l'emétique sur l'homme et les animaux. Paris 1813

2) Recherches chimique et physiologiques sur l'ipecacuanha par M. M. Magendie et Pelletier. Paris 1817.

et alia medicamina nimis ventriculum laedunt, vires exhauriunt, inprimis in iis morbis, ubi pulmones, praegressa nimia irritatione, jam debilitati sunt, uti post sedatam pneumoniam, in iis, qui magno sanguinis ad caput impetu laborant; in haemoptoe, si una ventriculus cibis crudis plenus est, simulque diarrhoeis dysenteriisque affecti sunt. Etiam efficacia ejus in graviditate atque in propensione ad uteri haemorrhagias, ubi emetica postulantur, praeclara est, quia sine magna perturbatione inducitur vomitus.

Contraindicationes sunt: 1) si ventriculus adeo muco et sordibus repletus est, ut vehementior ad revocandam sanitatem requiratur instigatio, 2) in morbis venenosis, alia emetica, stimulum majorem provocantia sunt adhibenda. 3) In angina membranacea, ubi tantum per actionem fortiorem partes membranaceae expelli possunt. 4) Quodsi convicti sumus, aegrotum cholelithis vel calculis nephriticis laborare, qui nonnisi totius corporis percussione ejici queunt.

Praeter vomitoriam vim saepius alios effectus benignos in policlinico universitatis Berolinensis, quod moderante Perillustrissimo Hufelandio floret, videmus, quorum fructus jam paucis verbis narraturus sum

Observ. I. Puella 22 annos nata, cujus constitutio robusta et plethorica fuit, pleuritide gastrica laborabat cum doloribus maxime pungentibus; venae sectione instituta, hirudinibus applicatis, quatuor grana emetini, aqua soluta, addita una sacchari drachma, propinata sunt, ter inde vomitus sequutus est, quo multum materiae mucosae respuebatur, id quod sine contentione corporis contigit, somno benignoque sudore comitantibus, paulopost consanuit.

Observ. II. Puer duorum annorum et sex mensium, per tres hebdomadas diarrhoea gastrica, tussi vehementi, tussi convulsiva jam simillima loborans, viribus maximam partem exhaustus, ad mortem paene adductus fuit. Tussis sibilans, interdum vomitu finita et plerumque nocte rediens, atque diarrhoea frequentissima, sedes mucosae, aquosae, foetidae viridesque aegrotum vexabant, ut facile intelligi posset, ad quod stadium morbus ita jam progressus erat. Statim tria emetini grana, addita oxymellitis uncia dimidia et aquae uncia in horae quadrantis intervallis porrigebantur. Puer post totam dosin semel tantum vomuerat, quod inde est derivandum, quod major turgescentia deorsum affuit et morbus cum magna pertinaceque pituita e colluvie erat complicatus, attamen vero post gravem sudorem et largum somnum per duodecim horas sine tussi et diarrhoea fuit, omninoque melius se habebat. Itaque denuo tria emetini grana et duas sacchari drachmas in tribus aquae unciis solutas, praescripsi, quarum singulis horis, cochlear parvum propinatum est. Die tertio, tussis et diarrhoea ferme remiserunt, relictis nonnullis symptomatibus gastricis, quae ciborum et potus fastidio obtectaque lingua facile cognoscebantur. Qua ex causa denuo fortior emetini solutio (prius absumtis medicaminibus) datur, unde quater vomitus ortus est: quo facto, aegrotus, excepta tussi interdum redeunte, melius sese habuit, febris vehemens prorsus desiit, identidem crescentibus viribus. Per tres dies puero medicaminum nihil porrectum est. Inde ei e vini stibiati ʒjß, aq. foeniculi ℥ij et syrupi althaeae ℥j mixturae paratae, quinquies aut sexies quotidie cochlear

parvum datur.' His absumtis, multum abfuit, ut tussis omnino esset sedata, ut potius majori cum impetu infestaret aegrotum, quare iterum duo emetini grana, una sacchari drachma in quatuor aquae unciis soluta dantur, ea vero mente, ut parvum admodum cochlear ngerat tertia quaque hora. Quatuor diebus praeterlapsis, tussis eadem vi permanebat, quod, ut equidem censeo, ad frigidam humidamque tempestatem, nec non obscurum ac humidum domicilium maxime referendum est. Sed, cum aegrotus illud remedium ingurgitasset et vomituritiones aliquae inde essent ortae, unum granum emetini, in quatuor aquae unciis solutum, ne denuo eaeinciperent, dedi. Deinde post octo circiter dies, tussi omnino sedata, ciborum desiderium egrotum cepit, ita, ut celerrime vires, quibus antea iguerat, restituerentur:

Observ. III. Foemina aegrota 36 annorum, pluribus diebus vehementissima diarrhoea jam faecibus anguinolentis e causa gastrico rheumatica orta, laborabat. Primo quatuor grana emetini danda mihi esse utavi in hunc fere modum.

℞ Emetini gr. iv.
Sacchari albi ʒj solve in
Aq. destill. ℥j. M.

Ejus solutionis dimidiam partem sumi, jussi, veritus e justo largior fieret evacuatio, sed post quadrantem orae reliquam partem porrexi hora praeterlapsa, vomituque, quamvis maxima ad eum adfuisset proclivias, nondum secuto, iterum tria grana, secunda quaue hora unum granum dandum esse rite aestimavi. Quod minime fefellit. Omnia gastrica symptomata

desinunt, sedatur diarrhoea, nullo, ut quidem speravi, exorto vomitu. Hinc magnopere elucet, emetinum velut contrastimulans agere.

Observ. IV. Foemina quaedam 40 annos nata sordibus gastricis ac rheumatismo correpta fuit, contra quae optimo successu quatuor grana emetini adhibita sunt, ut duo graves vomitus somnus et sudor orirentur.

Hoc medicamen pari modo laudibus in depellenda convulsiva tussi dignissimum esse videtur, quoniam effectum specificum in pulmones exserere, apparet, ex iis, quod in animalibus, emetino interfectis, pulmonum structura valde inflammata est; itaque in minima dosi emetinum, si in hujusce exspectes fructum adhibeatur, necesse est.

Modo simili uti ipsa ipecacuanha, emetinum in febribus nervosis, intermittentibus, haemorrhagiis, spasmis certe commendandum est, quo, cum tempus et occasio mihi desint, experimenta instituere non potui.

Quodsi forsan propter abusum aut incuriam aegroti aut medici imperitia, nimia emetini dosis, diuturnum vomitum oritur, infusum gallarum turcicarum magnum usum praestat, quia insolubile praecipitatum gignitur, quo, simulatque id resorptum est, vomitus mox sedatur.

Omnium remediorum conjunctio et cum emetino admitti potest, modo decocta adstringentia absint, cum satis constet, laeve praecipitatum saepenumero inde gigni solere.

Effectus emetini puri seu alcaloidei veri (?) sunt tam intensi gravesque, ut duo grana, cani occidendo suf-

ficiant; sed Msgendie narrat:[1]) grani partem decimam sextam unius, seni cuidam 85 annos nato, ut vomitum efficeret, suffecisse, quamquam negari non potest, illum facile propensiorem ad vomendum fuisse. Praetera tertia grani pars aut integrum granum omrium maxima est dosis, ubique tamen cautissime agendum est.

Mihi quidem non licuit circa hanc rem experimenta instituere, quoniam repraesentatio puri emetini et magnam operam sumtusque exigit. Qua de causa neque in officinis pharmaceuticis prostat, neque ad usum medicorum satis aptum habetur. Alia minoris sumtus praeparata in eundem usum dari possunt.

§. 8. *PRAESCRIPTIONES NONNULLARUM COMPOSITIONUM SECUNDUM MAGENDIE.*

I. EMETINI IMPURI.

1) Mixtura vomitoria.

℞ Emetini impuri gr. iv.
Infusi folior. Aurant. ℥ij.
Syrupi cort. Aurant. ℥β:

M. S. Aegrotus decima quaque minuta cochlear magnum capiat.

2) Rotulae expectorantes cum emetino.

℞ Emetini impuri ℈j. gr. xij.
Sacchari pulverisat ℥iv.
Mucilag q. s. ut fiant rotulae gr. ix.

---

1) Magendie Vorschriften etc. p. 34.

In officinis Franco Gallorum rotulae colore coccineo tinguntur, quem ad scopum aliquid carmini sumitur, quo facilius ab ipecacuanhae rotulis distingui possint. In catarrhis pulmonum, tussi convulsiva, diarrhoeis inveteratis frequentissime optimo cnm successu adhibitae sunt.

3) Rotulae vomitoriae ex emetino.

℞ Sacchari albi ℥ij.
Emetini colorati ℈j. et gr. xij.

M. ut fiant l. a. rotulae ponderis granorum octodecim.

Ejusmodi rotula jejuno infanti datur, cui ad provocandum vomitum sat est. Adultis tres vel quatuor.

4) Syrupus emetini.

℞ Emetini colorati gr. xvj,
Syrupi simpl. Lib. I. M.

Hoc pariter ac syrupo ipecacuanhae in officinis Gallicis usitato uti licet.

II. EMETINI PURI.

1) ℞ Emetini puri gr. viij.
Sacchari ℥jv.

M. formentur l. a. rotulae granorum novem.

Viginti quinque rotulae granum unum emetini continent.

Ut aegrotus vomat, unum emetini granum in quavis potionis quantitate solvendum est, quum vero aqua difficile solvatur, acido prius acetico aut sulphurico aut alio diluto, solvendum est. e. g.

2) ℞ Emetini puri gr. j.

solve in acidi nitrici diluti exigua quantitate, huic admisce

Infusi florum Tiliae ℥iij.

Syrupi Althaeae ℥j,

M. S. Singulis quadrantibus horae cochlear magnum sumatur, donec vomitus secutus sit.

Hoc quoque modo syrupus parari potest.

3) ℞ Emetini puri gr. iv.

solvitur (ut ante dixi)

Syrupi simpl. Lib. I.

M. S. Singulis cochlearibus sumatur.

CAP. II.

DE PSYCHOTRIA EMETICA.

§. 1. *HISTORIA PSYCHOTRIAE EMETICAE.*

Nomen hujus plantae illorum trium est antiquissimum, nec unquam ab ea veram radicem vomitoriam esse oriundam, non arbitrati sunt, quod autem a vero alienum est et solummodo recentiori aevo, multis perscrutationibus factis, hanc plantam, falsam ipecacuanham obtulisse comprobatur.

Mutis jam istam cognovit et ad Linnaei [1]) filium

1) Linné Species plantar. Edit. Willdenowii Ber. 1797. T. 1. P. 2. p. 968. Willdenow Selbststudium 2. Aufl. Berl. 1809. p. 99.

misit, qui veram ipecacuanham sibi deportari credidit atque Willdenowius ipse annis prioribus ab eadem opinione non abfuit. A Persoonio haec, Cephaëlis emetica appellatur.[1])

Humboldtius et Bonplandius, ex America redeuntes, primi erant, qui hanc plantam icone nigra illustraverint. Anno 1818, Merat juxta veram ipecacuanham quoque Psychotriam emeticam icone nigra, Hayneus vero iconibus coloratis illustratam tradiderunt.

Quae quidem in America australi in provincia Giron et in ripis fluvii, qui nomen Magdalenae gerit, frequentissime nascitur atque mense Majo floret. Neque minus ad Pentandriae Monogyniae classem sexualem et ad Rubiacearum familiam naturalem referenda est.

§. 2. *DE RADICIS PSYCHOTRIAE EMETICAE FACIE ET COLORE.*

Radix, quam hoc loco describere destinavi, structura plane similis illi, quam Humboldtius, Merat, Hayne, nec minus si ad colorem respicere placet in flor medical delineaverunt. Liv. 52. T. 201.

Radix intense fusca et striata, quia striis longitudinaliter occurrentibus praedita, apparet, etiam nigra interdum nuncupatur. In frustulis duorum ad quinque pollicum longitudinis obvenit. Radices adultiores crassitie calami scriptorii, rectae, raro flexuosae, cortice annulorum modo formato, minores au-

1) Synopsis plantarum Par. et Tübing. 1805. P. 1. p. 203.

tem tenuiores et minus annulatae qnasi incisae occurrunt. Cortex erubescenti brunneus, epidermide fusca obductus et substantiae lignosae fere similis, odore aromatico, sapore amarissimo, nauseoso. Pars lignosa cortici antecellit, sin autem radix aqua mollescat, cortex ejus parti lignosae praevalet et color ex nigro fuscus apparet.

§. 3. *DE PARTIBUS CONSTITUTIVIS ATQUE EA RATIONF, QUA IN CONSTITUENDA ANALYSI USI SUMUS.*

Pelletier saepius radicem Psychotriae emeticae se perscrutatum esse, affert, quod tamen nunquam sane factum est, sed semper eum in discernendis radicibus, erroribus deceptum esse constat, uti jam in capite priori ostendi.

In alio quodam loco,[1]) Pelletier, illum novem emetini, decem malacoretinae grana se reperisse et reliquas multum amyli et gummi ac partes lignosas fnisse, contendit. Acidi gallici vix aliquantum aderat.

Fatendum mihi est, Buchnerus inquit; me in hac et in sequente radice dubitasse, num adesset emetinum, nisi ab ipso Pelletier investigatum esse, accepissem.

Plurimis investigationibus hic institutis, nihil emetini huic radici inesse, experti sumus.

Quum huic rei paulo certius indagandae operam darem, apud seplasiarium quendam, hanc radicem reperi, quam paulopost Ill. Hermbstaedt ad par-

---

1) Repert. p. 336.

tes constitutivas indagandas adtuli, qui candidato pharmaceutico cuidam hoc negotium tradidit, summo cum studio allaboranti.

Octo unciae radicis rite exsiccatae, 46½ partes aquosas perdiderant, quae grossiuscnle pulverisatae unciis 27 spiritus 80° per viginti quatuor horas digestae, ad dimidiam partem destillationi subjectae, tinctura initio frigide, postremum autem calide filtrata, post ultimam filtrationem paululum olei pinguis et materiae tinctoriae reliquerunt. Residuum tincturae 498 granorum, post digestionem quinquies susceptam, aethere sulphurico extrahebatur, inde 154 grana ex solutione clare fusca supererant, quae denuo in duabus alcoholis unciis soluta sunt et, filtratione facta, quinque grana cerae viridis reliquere. Ex hac solutione aetherea 149 gr. malacoretinae accepit. Aqua ex solutione spirituosa 97 grana amari extracti recepit; residuo materiae tinctoriae 247 granorum remanente.

Radix, hoc modo extracta, denuoque exsiccata, unciis octo aetheris digesta est, qui 41 gr. olei pinguis, et, eadem aetheris copia sumta, durante longiore digestione, tantum 2½ gr. insuxit. Quo facto, uncias duodecim e pulvere hactenus exhausto, digestione biduum extracta, nequaquam aliquid extraxerunt. Per digestionem ex frigida aqua decies institutam, 819½ grana nigrescenti bruneae massae gummosae, quae facile latices aëris inhausit reperta sunt. Coctiones saepius repetitae ex aqua destillata, evaporatione instituta, amyli 380 grana praebere.

Ex quatuor liquoris kali caustici unciis et sufficiente aquae copia, residuum etiamnum coquebatur,

et post filtrationem parum quoqne evaporatum, ope alcoholis, amylum praecipitabatur, quod 542 granorum pondo fuit. In reactione chemica, plane gummi simile est. Jodium nullum in id exserit effectum.

Fibrae lignosae remanentes 1580 grana et combustione facta, 63 gr. praebuerunt. Cineres aqua emolliti, 17 partes insolubiles dederunt.

In partibus insolubilibus $9\frac{3}{4}$ gr. terrae siliciae, $17\frac{1}{2}$ terrae argillaceae et ferri oxydati reperta sunt.

Summa analysis haec est:

1) Malacoretinae in aethere, alcohole, oleo amygdalarum, terebinthinae et liquore kali caustici solubilis. Acidum sulphuricum et nitricum nihil in eo mutat. . . . . . . 149 gr. = 03,880.

2) Cerae viridis . . . . 5 gr. = 00,130.

3) Scleroretinae friabilis amarae, in aethere et spiritu rectificatissimo insolubilis, tamen vero in spiritu 80° facile solubilis . . 97 gr. = 02,526.
Ista vim hygroscopicam et reactionem acidi ostendens, salia ferri oxydata fuscum tingens; plumbum aceticum et hydrargyrum nitricum oxydulatum larga producunt praecipitata. Tinctura gallarum praecipitatnm efficit, simulac magis tincturae additur, praecipitatum iterum solvitur. Acidum gallicum vel praecipitandam vel ad obnubilandum nihil confert, quod etiam fieri solet, si kali oxalicum acidulum et baryta muriatica cum eo conjunguntur. Ferrum sulphuricum initio solutionem non turbat, postea vero nigrescenti brunneo colore tingitur. Ferrum muriaticum oxydatum, primum nigrum, deinde vero si solutio diluitur fuscum praecipitatum offert. Alumen cru-

dum nullam mutationem exserit. Stannum aliquanto turbat solutionem.

4) Materiae tinctoriae fuscae, indolis resinosae, fulgentis et facile friabilis . . 247 gr. = 06,432.

In acidis illa solvitur, per alcalia praecipitatur ac vice versa, in liquore ammonii caustici et kali caustici concentrato solubilis, in diluto vero insolubilis.

5) Olei pinguis . . .	43½ gr.	= 01,133.
6) Extracti gummosi . .	219½ gr.	= 05,716.
7) Amyli	370 gr.	= 09,635.
8) Gummi per liquorem kali caustici accepti . .	542 gr.	= 14,115.
9) Residui lignosi . .	1580 gr.	= 41,146.
10) Partis aquosae . .	461½ gr.	= 12,018.

Vestigia olei aetherei, manganesii, calcariae muriaticae, sulphuricae, carbonicae atque magnesiae.

11) Deperditarum partium	125½ gr.	= 3,269.
	3840 gr.	= 100,000.

NB. Decoctum prius radicis reactionem alcali similem ostendens, jodio addito colorem caeruleum brevi amittit, majori vero copia addita, retinuit. Charta curcuma infecta, tingi visa, et, praeterlapsis nonnullis horis, reactio acidi observata est. Aqua radicibus infusa ac destillata nullum praestat effectum chemicum.

Quum hoc modo, omnia experimenta emetinum indagandi frustra suscepta essent, neque mihi istud indagandi ratio optima fuisse videretur, ut metam, quam mihi proposui, attingerem, alteram chemicam calcavimus viam, cujus fructus, quos inde cepi, breviter reddere mihi liceat.

Mille grana hujus radicis in grossum pulverem redacta per coctionem quinquies susceptam ex aqua plane exhausta sunt, filtratione instituta, tincturam intense fuscam valde amaram accepimus, inde extractum aquosum ad siccum evaporatum et aethere est superfusum, qui tamen exigue tinctus decanthabatur. Quo facto, spiritu rectificatissimo extrahebatur et nobis tincturam valde fuscam tradidit, post filtrationem, massa gummosa in filtro remanente. Istud extractum spirituosum aqua dilutum, destillationem subjectum est donec alcohol amotum esset.

Tentari oportuit an ei emetinum inesset, nec ne, qua ex causa primum tinctura gallarum et deinde acido gallico examinandum erat, nunquam autem vel praecipitatio aliqua vel obnubilatio secuta est. Jam reliquum erat, ut, an forte cytisinum huic inesset, quaereretur, nec ne, quam ob rem barytae muriaticae solutio instillata est, quod experimentum, uti exspectavimus, nec unum nec alterum inesse, docuit.

Ex praeparatis, quae in analysi perfecta accepimus, haec ad usum medicum indagandum adhibita sunt.

§. 4. *DE NONNULLIS PERICULIS, QUAE DE PRAEPARATIS, EX ANALYSI SUSCEPTIS, INSTITUTA SUNT.*

Cum ejusmodi experimentis multa impedimenta obstent, vel ex temporis angustia, vel ex occasionis idoneae defectu, quisque facile intelligere potest, quantis cum molestiis metam suam attingat perscrutator. Qua de causa; plurima in me ipse institui, ut certum inde argumentum prodiret.

Primum, substantiam radicis ad drachmam unam in quatuor partes aequales divisam, tentavimus, qua assumta et in me et in alio quodam, exigua nausea collectio salivae sine vomitu, deinde duae sedes, et forsan, ni fallor, secretio urinae aucta secuta sunt.

Extractum resinosum initio ad grana quinque, altera quaque hora cepi et, sumtis viginti granis vel nauseam, vel vomitum, sed exigua admodum tormina et borborygmi sunt orta.

Altero die dosin duplicem ingessi, et sumtis quadraginta granis, symptomata antea dicta graviora, nausea, collectio salivae per aliquot tempus continuata suborta sunt, item dolores et gravitas capitis quasi sanguis ad caput congereretur. Tormina et borborygmi aliquamdiu resistentia, nec secretionibus nec excretionibus auctis transiere. Apparuit, resinam vim exaestuantem in tractum intestinorum exercere.

Extracti gummosi singulis quadrantibus horae, duo grana aqua soluta, assumsi; decem grana nullos exseruere effectus, neque quadraginta grana soluta eademque quinque minutarum spatio ingesta, praeter borborygmos et horripilationes quidquam effecerunt.

Duodecim grana extracti amari uncia integra aquae soluti per quinque minutas assumta, nulla incommoda attulerunt, sed tantum, uti remedium amarum ciborum desiderium auxerunt.

Eodem modo duplicem dosin ipse hausi, alios vero effectus non observavi.

CAP. III.

DE RICHARDSONIA BRASILIENSI.

§. 1. *HISTORIA NATURALIS.*

Quamquam Piso radicem hujus plantae jam cognovit eamdemque verae ipecacuanhae varietatem esse, existimavit, quae et ab ipso et a Lusitanis, blanca [1]) nuncupatur, tamen, virtutes meliores ei adscripsit e. g. majorem in venena vim, minorem corporis perturbationem etc.

Ex illis temporibus nemo ad hujus discrimina amplius respexit et illam, modo a Viola grandiflora [2]) modo a Viola parviflora [3]), modo a Viola Itobou, cujus radix ipecacuanha a Cajenne nominatur [4]), modo a Viola Ipecacuanha [5]) et quae a Vandelli [6]). Pambolia Ipecacuanha nuncupatur, etiam ante breve tem-

---

1) Guil. Piso de med. brasil. Lib. IV. Cap. LXV. p. 105.
Guil. Piso de Indiae utriusque re naturali et medica Lib. IV. Cap. LIII. p. 231.

2) Barrere sur l'histoir nat. de la France équinoxiale p. 113.

3) Pouppe Desportes Maladies de Domingue T. 3. p. 6.

4) Aublet Hist. des plantes de la Gujane Francaise T. 2. p. 808. Tab. 318.

5) Linné Dissert. de Viola Ipecac. Upsal 1774. p. 7.

6) Vandelli Fascicul T. 1. p. 7.
Flora lusitan. et brasil. spec. t. V.
Roemer. Scriptores de plantis Hispan. Lusit. Brasil. adornavit et recudi curavit. Norimbergae 1796. p. 147. T. 3.

pus a Cynancho Ipecacuanha L. [1]) radice alba haud annulata, radicem colligi arbitrati sunt.

Verum omnes, quas modo dixi, alicujusdam sunt generis, a quibus nunquam haec collecta est: donec tandem, anno 1797 Dr. Bernhardino Antonio Gomez[2]), medicus Lusitanicus in Brasilia versatas, studio accensus ad hujus terrae naturam medicam perscrutandam, primum eam invenit. Qui anno 1800 optato successu, Olyssipponem rediit, et proximo anno, suas observationes publicavit, quibus radix et grisea et alba tractatae sunt. Per longum tempus hic libellus ignotus erat, donec Virey attento animo illum excepit, ad quem Gomez, plantas una cum radicibus Jonidii (Violae L.) Ipecacuanhae et Jonidii Calceolariae (Violae Calceolariae L. Violae Itouboae Aublet) miserat et, perscrutatione instituta, nullam similitudinem inter hanc et albam ipecacuanham invenit [3]).

Memoriam Richardsonii Professoris genus Richardiae Linnaeus stabilivit, quia autem postea alterum genus secundum Richardum denominatum est, Kunthius illud Richardsoniam appellavit [4]).

Gomez, Virey et Hayne Richardsoniam brasiliensem distincte descripserunt, hic quoque refert eamdem esse radicem ejusque ante plures annos Hamburgi, magnam copiam apud mercatorem quendam venditam

---

1) Achill. Richard Hist. natur. de ipecac. p. 51.

2) Gomez Memoria sabre a ipecac.

3) J. J. Virey im Journal de Pharmacie et Journal complementaire du dictionaire des sciences medicales 1820. T. VI. p. 255.

4) Mémoires du Musée d'histoire naturelle.

venditam fuisse, cujus distinctae et exactae comparationi confidimus [1]).

Poaia do Campo eam appellari in Brasilia, Poaia branca in Lusitania, narrat etiam Gomez.

Frequentissime in agris arvisque Brasiliae planta nascitur et vere floret.

Haec, si respicias ad sexum, Hexandriae Monogyniae, ad ordinem naturalem familiae Rubiacearum est.

§. 2. *DESCRIPTIO RADICIS.*

Radix perpendiculariter in terram descendens, simplex aut raro ramosa, flexuosa, apicem versus sensim extenuata, sulcis transversalibus plurimum semiannulata, quarum interstitia plerumque transversales dissectiones aequant, interdum striis longitudinalibus sed minus conspicuis et plurimis fibrillis praedita: in frustulis trium ad quinque pollicum longitudine, crassitie calami scriptorii et saepius ultra, annulis majoribus, inaequalibus, crassioribus ut in aliis ipecacuanhae speciebus obvenit, radices juniores tenuiores, annulis magis aequalibus. Interdum frustula, plane aequalia sine eminentiis et annulis incisis, quae similiores sunt radici Richardsoniae pilosae, quam delineavit Kunth [2]). Epidermis lurido albo, recens plane albo gaudet colore; cortex ipse mollis friabilisque est structurae, coloris albi, farinosi et odoris et saporis post mastica-

1) F. G. Hayne, l. c. B. VIII. p. 21.

2) Humboldt, Bonpland et Kunth Nova gener et spec. plant aequin Icon. illust. T. III. p. 273.

Ruiz et Pavo Flora peruv. T. III. p. 53.

tionem subacris, maximam radicis referens partem. Pars lignosa, fibrosa, filosa, tenax, flavescens, insipida. Sex drachmae in pulverem redactae radicis, quadraginta octo grana substantiae lignosae referunt.

§. 3. *PERSCRUTATIO CHEMICA.*

A Pelletier ipso alba quaedam ipecacuanha explorata est, in qua emetinum et paululum materiae saccharinae 3,2. — amylum 54. — materia extractiva, cum novo quodam non satis explorato principio 22. — pars lignosa 19. — et vestigia acidi gallici. Paulopost hanc radicem ad Cynanchum vomitorium pertinere compertum est [1]).

Aliam quandam ipecacuanham albam (Violam Ipecac.) Pelletier perscrutatus est, in qua sex emetini, duas substantiae malacoretinae reperit partes. Pars residua erat copia amyli magna et exiguae tantum partes lignosae [2]).

Ad investigandum, utrum huic radici emetinum insit nec ne, experimenta sequentia sunt instituta: tricenta grana pulveris grosse contusi, parte lignosa amota, aethere sulphurico sunt digesta, donec ea nihil amplius reciperent, quam ob rem ejus color paululum modo in flavum mutatus et ipse tantillo olei pinguis, pariter ac malacoretinae praeditus erat. Extractione facta, radix restans saepius spiritu vini 80° extrahebatur, tinctura accepta aqua diluebatur et ex alcohole destillato, tinctura refrigerata per filtrationem a resina ejus remota est. Haec nequaquam magis fusca quam

---

1) F. G. Hayne l. c.

2) Buchner Repert. B. 7. p. 335.

altera vixque sapore amaricante praedita erat, ac vel acido gallico vel tinctura gallarum obnubilationem ostendit, quae sane sunt argumenta, nullo emetino hanc radicem praeditam esse. Nihilominus tamen hoc aquosum extractum aceto saturnino praecipitavimus, praecipitatum acido hydrothionico a plumbo liberavimus et post filtrationem ad quartam partem evaporavimus atque opere peracto, filtratum flavescente indutum erat colore, omninoque sine amaro sapore nec in acidum gallarum ostendit reactionem.

Pulvis radicis ex toto aethere et spiritu extractus apparuit albissimus, examinantique cum jodio haud dubium fuit, quae restarent, magnam in partem composita esse ex amylo.

§. 4. *DE EFFECTU HUJUS RADICIS.*

Jam ex omnibus his rationibus medica radicis indoles facile cognosci potest, reliqui enim effectus, quos Piso observasse dicitur, recenti radici forsitan tribuendi sunt.

Ipse substantiam in forma pulveris ad drachmas duas, nempe per intervalla decem minutarum vicena grana assumsi, nec ullum fastidium nec postero die cita alvus secuta sunt.

Hac radice facillime vera ipecacuanha adulterari potest, unde fieri videtur, ut medici saepe exiguas hujus facultates experiantur, maxime pharmacopolis utriusque indolem ac proprietates ignorantibus.

CURRICULUM VITAE

EX DECRETO

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS BEROLINENSIS ADJECTUM.

Ego, *Ernestus Ferdinandus Klinsmann*, Gedani, mense Octobri a. MDCCXCIV patre Mathia Henrico Klinsmann, qui munere Chirurgi medico practici hujus urbis functus est, et matre e gente Kayseriana, natus. Optimis his parentibus jam pridem orbatus sum.

Scholam majorem, quae in urbe florebat, frequentavi, ibique in disciplinis, quae ad aetatem juvenilem pertinent, a praeceptoribus summe venerandis eruditus sum. Simul etiam Botanice et historia naturali a beato Biörn, potentissimo Borussorum regi a consiliis commissionum reique saltuariae praefecto, institutus sum, cujus insignem erga me liberalitatem ad diem usque supremum, grato animo recordabor.

Mense Novembri, die XXV. a. MDCCCXVIII Universitatis litterariae Berolinensis civibus, Cel. Weiss t. t. rectore Magnifico, adscriptus. Ab hoc inde tem-

pore has lectiones frequentavi: Ill. Knape de Osteologia, Syndesmologia et medicina forensi. Ill. Rudolphi de anatomia corporis humani, comparata, pathologica et organorum sensuum; entozoorum doctrinam et Physiologiam idem vir Ill. me docuit. Arte cadavera dissecandi Ill. Knape et Rudolphi me instituerunt. Cel. Turte Physicen et Chemiam experimentis illustratam mihi explicuit. Cel. Hayne Botanicen theoreticam et practicam demonstravit, huic studio per triennium amore singulari accensus operam dedi, maximasque gratias Cel. Hayne ob singularem in me collocatam benevolentiam, ago, Viro quem per totam meam aetatem pie venerabor. Cel. Hecker Historiam medicinae mihi tradidit, ejusdemque viri Cel. interpretationibus Celsi librorum omni, qua par est, assiduitate interfui. Cel. Link Historiam naturalem generalem, Pharmacologiam pharmaceuticam et medicam, doctrinam de plantis cryptogamicis, nec minus Toxicologiam, Cel. Lichtenstein zoologiam me docuerunt. Praelectionibus quoque Cel. Osann de Materia medica et fontibus medicatis interfui. Cel. Hufeland Pathologiam generalem, Ill. Horn Pathologiam nec non Therapiam specialem, Perill. Hufeland institutiones medicas et Therapiam mihi exposuerunt. Ill. Berends Semioticen et mulierum morbos, tum Hippocratis tum Celsi libros mihi explicuit. Tum et praelectionibus Ill. Graefe de morbis ossium dynamicis et Akiurgia, Ill. Rust de chirurgia generali et speciali deque morbis syphiliticis interfui. Cel. Kluge in arte obstetricia tam theoretica quam practica, Exp. Jüngken in Ophthalmiatrice et in arte fascias imponendi et in oculorum operationibus praeceptores mihi fue-

runt. Cel. Schleyermacher in Psychologiam, Cl. Neumann in doctrinam morborum psychicorum me introduxerunt. Tandem particeps fui exercitationum clinicarum in institutis Universitatis et in nosocomio Caritatis, praesidibus Ill. Hufeland, Berends, de Siebold, Graefe, Rust et Neumann. Denique Ill. de Siebold exercitationibus obstetriciis in machina phantome interfui.

Tentamine et examine rigoroso coram gratioso medicorum ordine rite superatis, dissertatione conscripta publiceque defensa, spero, fore, ut hodierno die Doctoris medicinae et chirurgiae honores rite adipiscar.

THESES DEFENDENDAE.

I.

Systema plantarum naturale, sexuali est postponendum.

II.

Emetinum, quod in radice ipecacuanhae reperitur, aliis emeticis praeferendum esse, contendo.

III.

Faciei habitus in morbis summi momenti.

IV.

Vulnerum sanatio per primam intentionem suppurationi plerumque est praeponenda.